

diligentissime quid agimus, uti solemus. Quare, quod scribendo consequi ego non possum, id velim re efficiatis, ut ille genere mearum litterarum insigne quiddam perfectum arbitretur. Ipsum Virum generosum autem, quem commendo VOBIS, per dignum esse VESTRA amicitia, favoreque VESTRO, non suspicor tantum, sed confido, et scio adeo, quia is mihi est per aliquot annos, quibus et doctore me, et hospite usus est, satis cognitus. Habebitis illum, polliceor, diligentissimum auditorem, talem, quales iam alios Buetzouio olim ad vos profectos esse scitis, qualemque una cum hoc adcipietis, ipsius cognatum generosum DE LOEVENSTERN, quem et ipsum impensissime VOBIS commendo. Sed in utroque eo non tanta opera in commendando opus est. Scio enim breui eos VOBIS morum ingeniique elegantiam, probitatem, singulareque et plane indefessum studium discendi ita probaturos esse, ut plane non possitis, etiamsi nulla adcessisset vocis meae commendatio, quin eos ametis non modo, sed et diligatis. Quare nihil amplius addo, quam hoc, ut rogem vos, velitis et in posterum me semper, quo consuevistis hucusque, amore et favore singulari amplecti. Valet, et scitote, me esse NOMINVM VESTRORVM CLARISSIMORVM mihi bique DVLCISSIMORVM studiosissimum cultorem.

Dabam Buetzouii. ipsis Kalend. Sepembr. clōccclxv.